

titur hodie , quod definiatur ex Cathedra controversia tam gravis , & dicatur sufficere congregatio paucorum destinanda ad nutum Pontificis ? Mirum profecto quod a congregatiōne paucorum expectetur definitio ex Cathedra , quę redat rem certam certitudine infallibilis veritatis , quando hoc non expedire censuerunt Pontifices omnes , etiam quando universalis Ecclesia erat in Conciliis generalibus congregata . Enuntientur rationes .

XVII. Primo hec definitio non expedit Ecclesiae . Nunt omnes Orthodoxi Theologi , inter principia , seu locos Theologicos , quibus Ecclesia utitur in stabiliendis veritatibus , & profligandis erroribus , enumerari & illud , quod nuncupatur *Auctoritas Patrum* . Hoc totis viribus enervare conantur hæretici , Lutherus , Rivetus , Dallaus , & novissime Picininus . Unum ex argumentis , quo illud impugnare nituntur , est sententia quasi concors Patrum contra definitionem Ecclesię (sic illam vocant) in punto Conceptionis Virginis ; & afferunt catalogum Patrum , videndum apud Natalem Alexandrum Sac. 2. differ. 16. §. 21. , in quo notantur quamplures Patres , qui asseverarunt , Beatam Virginem in peccato originali fuisse conceptam ; & tamen hoc non obstante dicunt , quod Ecclesia definit contrarium : quod probant inanibus rationibus ; inter quas una est , quia permittit , & precipit celebrari Festum Conceptionis : ergo , dicunt , auctoritas Patrum , utpote discors a definitionibus Ecclesię , non est locus Theologicus . Ita Rivetus suum tuetur errorem , & Picininus in sua Apologia , & in Triumpho debacchatur , existimans per celebrationem Festi Conceptionis fuisse definitum Mysterium . Hinc insultat Alexandro VII. tamquam sibi contradicenti , ex quo in sua Constitutione dicit , se nolle Mysterium decidere , & postea approbando Festum , illud decidit : hoc est , impudenter ait , decidere , & non decidere ; non decidere verbis , & decidere factō ; quod est sibi contradicere .

Huic hæreticorum objecto concors Theologorum responsio est , quod quamvis Ecclesia adhæreat opinioni dicenti ,